

esse Myſterium Immaculati Conceptus Virginis. Hoc idem cenſuerunt Pontifices omnes, qui poſt illa Concilia clauum Eccleſiæ tenere. Et præcipuè Urbanus VIII., qui ſub initio Pontificatus a Duce Complutenſi Oratore extraordinario Regis Hiſpaniarum enixe rogatus, ut Myſterium Conceptionis decideret, quamvis ſupplices preces adjuæ fuiſſent litteris Imperatoris, Regum, & Reginarum Galliæ, & Poloniæ, Principum, & Electorum Sacri Romani Imperii, tamen ſapientiſſimus Pontifex preces non exaudivit, & deciſionem negavit. In munere Oratoris ordinarii ejuſdem Regis ſucceſſit Comes diſtus de Ognate, qui rem reaſſumpſit, uti præcipuum ſuæ legationis negotium; ſubtiliſſimis artibus illud tractavit, petendo primo, quod concederetur facultas recitandi Officium Conceptionis compoſitum a Leonardo Nogarola, quod juſtis de cauſis Sanctus Pius V. juſſerat diſpungi a Breviario Romano; deinde quod ſaltem concederetur, quod in Sacris faciendis viri de Eccleſia uterentur verbo Immaculata Conceptionis; quæ petitio aliquibus Cardinalibus videbatur congrua, & erant in voto, poſſe concedi: tamen Pontifex validiſſimis rationibus oſtendit, non expedire a Sede Apoſtolica relaxari decretum, ex quo argui poſſet, quod directe, vel indirecte Myſterium fuerit deſinitum; & cenſuit ſtandum eſſe Conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum.

Replicatis ferventiori ſtudio inſtantis a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege, qui ut oſtenderet quanti faceret negotium, ſpecialem Oratorem miſit Alexandro VII., ut enixis precibus nomine Regis, omniumque Epiſcoporum, piorumque virorum Hiſpaniæ Regnorum peteret, quæ peterat ab Urbano, ut concederet; quod ipſe negaverat; poſt maturas diſcuſſiones, ferventesque orationes ad Divinam opem in re tam gravi impetrandam, ipſa die Conceptioni Virginis ſacra poſt celebrationem Miſſæ propria manu Bullam conſcripſit, eamque publicavit, tamquam quid maximum, quod in favorem Myſterii facere decreverat; in qua tamen rotundis verbis expreſſit, *ſe nolle, aut intendere decidere, quod ab Apoſtolica Sede nondum deciſum fuerat.* Quomodo ergo petitur